

nem illud inueniendi iam abiecerim spem, denique in  
Guitatis nostrae librorum collectione offendit, et ex  
animo lubentissimo Bibliothecae praefecti Fautoris et  
amici Excell. Profess. KRAVSE illud perlustrandi occasio-  
nem sum nactus. Licet modo merum contineat nomi-  
num plantarum indicium, tamen ob numerum illarum,  
qui est XDXCVI. tunc temporis iam in vnico horto \*)  
nutritarum, fere obstupui. Insunt quidem illi varietates  
plurimae, nihilosecius tamen inueniuntur plantae, quae  
nostris etiam temporibus hortis botanicis maximo cen-  
fentur ornamento. Cum Academiae Nostrae, licet  
supplicibus repetitisque precibus ab Ordine Salutari effla-  
gitatus, adhuc deficiat hortus botanicus, tamen haud  
ingratum a me suscepturnum esse laborem censeo, si pro-  
grammatibus sese excipientibus plantas euarrabo, quae  
in hortis et agris Prussicis vel ob amoenitatem vel ob  
utilitatem studio coluntur. Elegi hoc argumentum, ne  
tyrones botanici, quibus cum plantis indigenis est fami-  
iliaritas, inter hortenses seu exoticas hospites agant, in  
consortio quasi personarum ignotarum versantes. In  
recensione illarum methodum sexualem, quam etiam  
in Flora Prussica, per octodecim annos iam col-  
lecta, et, si Deus vires vitamque largitur, posthac edenda  
adhibebo, sequar, et ne nimis aridus taediosusque sit  
nominum catalogus, plantae patriam, hinc et inde  
descriptionem breuem, usum, aliaque memoratu digna  
adiiciam.

Clas-

\*) Plurimi credunt, hortum Electoralem eundem fuisse locum,  
qui nunc Regis hortus audit, et ex quo Floram quietam  
pacata inque Martis summouit tumultus.